



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CHINGLEPUTENSIS*** IN INDIA NOVA

CONDITUR DIOECESIS CHINGLEPUTENSIS Cum ad provehendam aeternam salutem gregis Dominici in India eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petatum esset nuper ut eadem in Natione nova constitueretur dioecesis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Laurentii Baldisseri, Archiepiscopi titulo Diocletianensis atque in India Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. Ab archidioecesi Madraspolitana et Meliaporensi separamus territorium districtus civilis, qui patrio sermone nuncupatur *Kancheepuram*, excepto territorio parociae Sancti Thomae; ex eoque novam condimus dioecesim *Chingleputensem*, seu vulgo *Chingleput*, quam metropolitanae sedi Madraspolitanae et Meliaporensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus episcopalem sedem poni in civitate *Chingleput* atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Ioseph Opificis dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Laurentius Baldisseri, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodecimo mensis Iunii, anno Domini bis millesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 11, pp. 653-654 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana